



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 195. At illi clamauerunt: Crucifige eum. v. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

O Bone Iesu, tu da veram in iustitia & æquitate constantiam, quam nec leges Romanæ, nec Mosaicæ, nec Philosophorum aurea dictamina dare potuerunt.

§. 195. *At illi clamauerunt: Crucifige eum. v. 13.*

Videntes Iudæi Pilatum timere, & audientes, quod se in consilium adhiberet, Ecce audacter dicunt sententiam. Sed qualem! Deus bone. Solent homines in iudicijs criminalibus horrescere audita sententia mortis, vel supplicij imo deprecari pro reis. Hic planè aliter agitur, hic videntur meri diaboli esse.

O Hierosolyma vel potius crudelissima Babylon, tunc omnium Ciuitatum caput, vt sacratissimum Messiaæ tui caput tam funesta ruina inuolueres, ideone tuo in sinu tot annis innocentissimus mansuetissimulque conqueuit, vt tuis vnguibus ac dentibus, tuis gladijs ac hastis factus præda tandem laceraretur. An hunc animum tam inhumanum, tam efferratum, tam crudelem tuorum è schola Prophetarum tulisti? Scio, quod aliter ibi sis docta; sed hæc est hora, & potestas tenebrarum, in quibus deferta luce versari maluisti.

O amantissime Domine in quantum te grauauerunt mea criminalia tam molesta tibi fuerunt vt etiam te vitam ipsam morti tradiderint. Quid enim aliud prætendebat iste clamor Iudæorum dicentium *Crucifige eum*, quam accusationem aduersus me coram patre caelesti à diuina iustitia institutam. Pilatus quidem animaduertebat tuam innocentiam quod sine peccato omni esses, & quod in tuo ore dolus inuentus non fuerit; sed peccata mea tam dura tibi fuerunt; illa clamauerant & clamabant, dirum illud crucifige. O Iudæi, ego in vestris personis contemplot mea peccata. Hoc debeo vobis, quod speculum facti estis mihi, vt possem me in vobis contemplari.

§. 196. *Pilatus autem dicebat illis. Quid enim mali fecit? v. 14.*

Bene dicis, Pilate, perge sic vrgere male affectos, si forte redeant ad rationem, à qua recesserunt quia sicuti virtuti competit præmium, ita peccato debetur supplicium, vbi ergo antecedens non est peccatum, decens est vt non sequatur pæna. Veruntamen hoc iudiciū rectum in Pilato adhuc viuens, vt in Iudæis erat oppressum passione; ita quoque hodie videmus idem oppressum in Caluino Gommaristis Antelapsarijs qui hominum maximam partem addicunt inferno æterno absque omni præuisione culpæ, & quod est tetrius, ipsi Deo suam hanc tyrannidem affingunt. Cum igitur audis hos tyrannos talia blasphema docentes, dic audacter cum Pila-